



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

10. Spes Murus Æreus. Æs, Bona Conscientia. Æs solidum, durum,
incompactibile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

illum diem. Sancti igitur Viri, quot labores nunc Veritati commendantes exhibent, tot jam remunerationis pignora inter SPEI CUBICULUM clausa tenent.

ARTICVLVS X.

SPES MVRVS ÆREVS.

Æs bona Conscientia. Æs solidum, durum, incorruptibile.

AD SPEI Parietem erigendum non *Lapides* solum & *Lateres*, verum etiam *Æs* adhibetur: est enim is parte aliquâ *Æreus*. Qualem Murum nominat Sacer scriptor Jeremiæ I, *Ego dedi te hodie in civitatem munitam, & Columnam ferream, & in Murum æreum.* Quod-nam illud *Æs*? *Bona Conscientia*, quæ vel ipsa sola Murus æreus dici potest.

Nil conscire sibi. nulla pallefcere culpa.

Hic Murus aheneus esto.

Siquid autem est, quod Parietem Spei firmat, est **BONA CONSCIENTIA**. *Si cor nostrum*, inquit B. Joannes, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM.* Bona Conscientia cum fiduciâ Murum componit. Unde S. Augustinus præfat. in Psalmum xxxi. *Quomodo mala Conscientia tota in desperatione est, sic BONA Conscientia tota in Spe.* *Et erunt tria hæc, de quibus dixit Apostolus, Fides, Spes, Caritas.* Alibi tria etiam nominat, sed pro Spe Conscientiam Bonam ponit: ille enim sperat, qui Bonam Conscientiam gerit. *Finis enim præcepti est Caritas de corde puro & Conscientia bona.* Quem autem pungit mala conscientia retrahit se à Spe, & non sibi sperat, nisi damnationem. Ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam; & ut habeat bonam conscientiam, credat, & operetur: quia quod credit fidei est, quod operatur, caritatis est. Et
quo-

quoniam *Bona Conscientia* nascitur ex bona vita bonique operibus, postquam B. Joannes dixit, Epist. i. cap. 3, *Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam, παρρησίαν, habemus ad DEUM*; subjungit: *Quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo facimus.* Simili modo Paulus Apostolus Bonæ Conscientiæ bonam vitam copulat, in alterâ ad Corinth. i. cap. *Gloria nostra hæc est, Testimonium conscientie nostræ, quod in simplicitate, & sinceritate DEI, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.*

Ex hoc Laterum genere parietem Spei extruxerat Sapiens mulier Susanna apud Daniele, quæ cum de adulterii crimine castissima accusaretur, Danielis XIII, *flens suspexit in cælum: erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.* Et, cum duceretur ad mortem, exclamavit voce magnâ, & dixit: *DEUS æterne, qui absconditorum es cognitus, qui nosti omnia antequam fiant; Tu scis quia falsum testimonium tulerunt contra me, & ecce morior. Sed non defervit sperantem in se Dominus. nota est historia.*

ARTICVLVS XI.

MURI EX SALE.

Quomodo materia similis ad Parietem-Spei adsciscatur.

MVROS alicubi è Sale construi à fide dignis auctoribus refertur. Certè, Plinius lib. xxxi. naturalis Historiæ cap. vii quod inscribitur, *De generibus Salis, Carthago inquit, Arabia oppido, muros domosque massis Salis faciunt aqua ferruminantes.* In qua re illud mirum animadvertitur quod cum Sal aqua dissolvatur, in muris illis confirmatur solidius. Quod probat etiam diligens Scriptor lib. dorus.